



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 73. Xaverii labores Apostolici in India.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI
A.C. 1542.

cuius tantam Viri demissionem ac modestiam admiratus eundem tenero amplexu honoravit, eidemque Diploma reddidit, affirmans, quod libere ac plene facultatibus sibi a Sede Apostolica datis uti posset.

§. LXXIII.

Xaverii labores Apostolici in India.

*Turfel. 1. 2.
6. 2. & 3.*

Cum igitur Xaverius ad prædicandum Christi Evangelium legitima frueretur auctoritate, mox ad medendum malis, quæ ipsi graviora videbantur, Apostolicam sollicitudinem intendere cœpit: Unde ægrotantibus in Xenodochio omni ope inservire statuit, ibidemque eo consilio pernoctavit, ut illos Christianæ vitæ præceptis suo exemplo imbueret, eosque ad supremam luctam præpararet: Post meridiem pauperes in custodiis vinctos visitans stipe apud cives corrogata juvabat, nec non circumibat cunctas cum tintinnabulo plateas, parentesque hortabatur, ut liberos suos, servosque ad Christianam Doctrinam dimitterent: postquam vero patrii idiomatis usum satis expeditum habere cœperat, publice sacris concionibus populum turmatim conflu-

fluentem ad meliorem frugem hortatus est, multosque ingeniosis, quas ^{Sæcul. XVI.} A.C. 1542. charitate Magistra didicerat, artibus, atque obsequiis Christo lucrificat: cum autem Evangelii progressibus vehementer obstaret libidinosæ voluptatis amor, nec non plures simul uxores habendi consuetudo, hæc imprimis mala impugnavit, atque imperio adeo nullis limitibus circumscripto exulare fecit, ut nullus hisce sceleribus implicitus Xaverii conspectum subire auderet; unde plus quam quadringenta præterita ejusmodi connubia ejus jussu irrita declarabantur, ac nefandæ pellicum consuetudines, quibus antea non pauci arctissimis juxta ac fortissimis vinculis erant innexi, feliciter dissolvebantur, adeo, ut tandem in Goano Regno Christianæ Religionis cultus reflorescere videretur.

§. LXXIV.

Xaverius Comorinenses Neophytos adjuvans.

Rebus fidei ita Goæ dispositis Xaverius suam sollicitudinem extendit ad Piscariæ oram prope Peninsulam quamdam, quæ citra Gangem e regione Tenarifiæ Insulæ inter Comorinum